



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Sacerdotii Origine & Præstantia - Variis item Industriis, & Praxibus, quibus Sacerdotes boni ad Dei gloriam suámque & Proximi salutem promovendam sunt usi ; Malorum Qvoque Sacerdotum infelici interitu, radicibus, & remediis Cui etiam Compendium Ritualis, ea, quæ pro commodiori Sacramentorum & ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1681

Testimonium Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48600](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48600)

V. Quæ omnia ponderans S. Chrysoſtomus hom. 6. in cap. 2. Timoth. dixit : Sacerdos quaſi communis quidam omnium Pater eſt ; dignum igitur eſt, ut omnium curam agat, omnibusque provideat, ſicut & DEVS, cuius fungitur vice. Et iterum hom. 6. de Sacerd. Eum, inquit, qui pro univerſo orbe terrarum, qui pro civitate tota, quaſi diſco civitate ? imò verò pro univerſo orbe terrarum legatus intercedit, deprecatorque eſt apud DEVM, ut omnium non modo viventium, ſed etiam mortuorum peccatis propitiuſ fiat, qualem quaſo eſſe oportet ? Equidem neque Moysiſ, neque Elia fiducia fore ſatis unquam putaverim ad ſupplicationem huiusmodi peragendam, quandoquidem quaſi mundus univerſus illi concreditus, atque adeo omnium ſit Pater, ſi ad DEVM accedit ipſe deprecans. Porro illum ipſum oportet tantò in rebus omnibus præſtare, pro quibus intercedit, quanto par eſt, ut Subditos Præſectus antecellat.

§. II.

De Præſtantia extrinſeca Sacerdotii,
ſeu ex aliorum testimonio.

PRIMUM

TESTIMONIUM DEI.

I. Triplici indicio DEUS manifeſtavit, quantopere Sacerdotalem ſtatum æſtinet, & diligat. Primum eſt, quòd tantam illi poteſtatem contulerit, quam nulli alteri homini conceſſit ; hinc Innocentiuſ III. de pœn. & remiſſ. cap. nova quædam. ait ; Licet beatiffima Virgo MARIA dignior & excellentior fuerit Apoſtoliſ univerſiſ, non tamen illi, ſed iſti Dominuſ claveſ regni calorum commiſit. Sed & S. Chryſoſtomuſ apud Beſſæum l. 1. de Sacerd. c. 5. adſtipulans, Qui terram incolunt, ait, atque in ea verſantur, iſſ commiſſum eſt, ut ea, qua in calis ſunt, diſpenſent ; iſſ datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam DEVS optimuſ Maximuſ neque Angeluſ, neque Archangeluſ datam eſſe voluit. Et clariuſ l. 3. de Sacerd. referens hanc originem ad ſolum DEVM, Sacerdotiuſ quidem, inquit, in terra exercetur, ſed

sed tamen inter calica officia referendum est, quippe mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, sed ipse Pareoletus Ordinis ejusmodi disposuit. Ut adeò meritò de hac potestate illi Jobi c. 41. usurpari queat: *Non est super terram potentia qua comparetur ei*; ipsèque Sacerdos cum veritate in illi Josephi Patriarchæ verba erumpere possit Gen. 39. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habet in domo sua; nec quidquam est, quod non in mea sit potestas.*

II. Secundum indicium ex eo desumitur, quòd tantum Sacerdotibus honorem exhiberi præceperit; nam inprimis per Ecclesiasticum c. 7. præcepit: *In anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius sanctifica; in omni virtute dilige illam, qui fecit te, & Ministros illius, ne derelinquas quasi proximo post se honore eosdem affici vellet.* Unde Zach. 2. dicit: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et iterum Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Quapropter meritò S. Ignatius Martyr Smyrnenis scribens, *Honorate, inquit, Sacerdotium secundum Christum, & post honorare oportet etiam Regnum Sacerdotium enim est summa omnium honorum, qua in cælestibus consistunt.* Et S. Gregorius Papa Mauritio Imperatori scribens, *Sacerdotibus, ait, non ex terrena potestate Dominus meus citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum, cujus servi sunt, ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.*

III. Tertium indicium est, quòd tam severè punirentur aut puniri præceperit eos, qui Sacerdotes læserunt; quod enim nescit Core, Dathan, & Abiron Num. 16. ob offensam Aaronem hiatu terræ absorptos esse? quis nescit, eorum complices eà de causa murmurantes ab ultrice flamma consumptos? quis nescit, Mariam sororem Moyse ob fratrem injuriis laceffitum subitâ lepra percussam esse? quis nescit eum Deut. 17. præcepisse: *Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino DEO tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Israël.* Et iterum per Psalmistam Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Si ergo in eos, qui veteris Testamenti Sacerdotes læse-

tunt, tam severè animadvertit, quantum de violatoribus Sacerdotum novi Testamenti pœnam exiger. Id certè non semel factò ipso ostendit, maxime in Nantino Comite Engellimensi, de quo Baronius ad annum 583. testatur, quòd, cum in Heraclium Burdigalensem Episcopum, aliòsque DEI Ministros multa mala patrasset, tam ardenti febre correptus est, ut exclamare fuerit coactus: heu, heu, ab Heraclio Antistite exuror, ab illo crucior, ab illo ad iudicium vocor. Cognosco facinus, reminiscor injurias me intulisse Pontifici, mortem deprecor, ne diutius crucier hoc tormento. Quibus dictis infelicem animam effudit, corpore adedè denigrato, ut prunis superpositis combustum fuisse crederetur. Sed & Valencis Imperatoris cubicularius, quia sanctum Sacerdotem Aphraatem pessimè tractaverat, innox in balneum ingressus, mente captus est, & in aquas calidas delapsus vitam finivit, uti Nicephorus l. 11. hist. Eccles. c. 25. refert.

SECUNDUM

TESTIMONIUM CHRISTI.

I. Triplici etiam ipse Christus testimonio declaravit, quantum opere Sacerdotalem statum æstimet, & ab aliis etiam æstimari desideret. Primum est, dum eo tempore Sacerdotium instituit, quo paulò post moriturus valedicere volebat Discipulis, atque adedè postremum, idque perfectissimum amoris sui erga humanum genus argumentum relinquere; tunc enim accepto pane gratias egit, & fregit, dedissetque Discipulis suis, dicens: Hoc est Corpus meum, quòd pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem. Similiterque calicem accipiens & porrigens, Sacerdotii Ordinem contulit Apostolis, ut Tridentinum sess. 2. c. 1. definit. Quòd si verò & cæremoniæ, quas institutioni præmisit, videlicet Paschatis antiqui abrogatio, pedum ablutio, & magis canaculi electio paulò accuratiùs considerentur, dubitari non potest, quin ea omnia eo potissimum sine sint peracta, ut suam de Sacerdotio hoc à se instituto æstimationem magis declararet, similèmq; etiam posteris conceptum ingeneraret.

II. Secundum testimonium est, quòd singulari semper honore ipsemet Sacerdotes veteris Testamenti affecerit, uti in pri-